

www.e-rara.ch

Animadversiones theologico-criticae

Beck, Jakob Christoph

Basileae, [1747?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Aleph F XII 20:11

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-86441>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

11.
ANIMADVERSIONES
THEOLOGICO-CRITICAE.

QVAS
DEO OPT. MAX. VOLENTE,
PRAESIDE

PLVRIMVM VENERANDO
DOMINO
IAC. CHRISTOPHOR. BECKIO,

S. S. THEOL. DOCT. LOCOR. COMM. ET CONTR. TH. P. P.

MODESTO ERVDITORVM EXAMINI PROPONET,

STEPHANVS HATHVANI,

V. D. M.

NOBILIS. HVNGARVS
AVCTOR.

A. D. XVI. IVN. A. P. N. C. MDCCXLVII.

IN AVDITOR. THEOLOG. AESTIV. HORIS SOLITIS.



BASILEAE

TYPIS VIDVAE IOAN. CHRIST.

VIRIS
SPECTABILIBVS, PERILLVSTTRIBVS,

- D. STEPHANO GYÜRKI de Loffoncz, Inclyt. Comit. Neograd, Emerito V. Comiti, certor. Regn. Hungar. Comit. Tabulae Iudic. Adfess. ex primariis; item Ecclesiar. Reform. cis & ultra Danubium, Curatori Supremo cet.
- D. FRANCISCO PASSAVANT I. V. L. Illust. Reip. Basileensis Archigrammateo, ac huius Academiae Scholarchae cet.
- D. IOSEPHO DARVAS de Nagy Rét, I. Comit. Neogr. Iurato Ordin. Notario, & aliorum I. Regni Hung. Comit. Tab. Iud. Adfess. Prim. &c.
- D. GEDEONI RÁDAI de Ráda, plurium Reg. Hung. Comit. Tab. Iud. Adfess. ex Primar. magni Parentis filio non minori &c.
- D. MART. DOMOKOS, Lib. Regiaeque Civitat. Debrecen Consuli &c.
- D. GABRIELI KANTOR, I. Comit. Neogr. Iudic. Nobilium &c.
- D. LADISLAO LOSSONTZI, I. Comit. Neogr & Gömör, Tab. Iud. Adfess. ex Primar. Fratri suo longe carissimo &c.
- D. SAMVELI SZEREMLEI, L. R. Civ. Debrecen Senatori & Collegii Reform. Curatori &c.

ITEM

PLVR. VENERANDIS, CELEBER. CLARISS.

- D. I. LVDOVICO FREY S. S. Th. D. & V. Test. Prof. Publ.
- D. I. BALTHAS. BVRCARDO S. S. Th. D. & N. Test. P. P.
- D. IAC. CHRISTOPH. BECKIO S. S. Th. D. & Loc. Comm. ac Contr. Th. P. P.

ACADEMIAE BASILEENSIS THEOLOGIS.

- D. STEPHANO HELMETZI, Eccl. Reform. cis & ultra Danubium SVPERINTENDENTI, Patri suo in Christo colendo &c.
- D. MARTINO SYLVANO S. S. Theol. P. P.
- D. SAMVELI SYLVANO Philos. exper. item Eloqv. Graec. & Latin. P. P.
- COLLEGII REFORM. DEBRECINENSIS IN HVNGARIA
ORNAMENTIS.*

- D. ANDR. KARMAN, Histor. Philos. Moral. & Eloqv. in Illust. Gymnasio Loffoncienfi P. P. & ejus Licei Reçtori, Cognato suo suavissimo

In testificationem animi grati hoc tenue
munusculum sacrum facit

AVCTOR.



§. I.

Multum hucusque illustre Bilhami vaticinium (a) interpretes doctissimos exercuit; quid per vocabulum שַׁת intelligi oporteat. Ego vero, id mihi negotii nunc non sumam, ut longam hic eorum seriem enumerem, qui aut pro *Setbi posteris* acriter depugnant, vel qui בְּנֵי שַׁת cum Iunio & Tremellio eos esse contendunt, *qui pone sunt*. Liceat vero mihi, dum certiora a doctioribus condocear, modeste hic loci ab eorum Sententia discessionem facere. Mihi saltem nihil planius esse videtur, quam per שַׁת בְּנֵי *filios ebrietatis* intelligi oportere. Enim vero in litteris hebraicis, non prorsus novum est, a verbis tertia ה quiescentibus, hac littera ה abiecta, nomina continuo enasci. Hoc modo, a שְׁלֵה in Niph. נִשְׁלֵה erravit, (b) fit שֶׁל error, (c) sic a גָּאָה elatus est, fit גָּאָה superbus (d): ita a דָּגָה fit דָּג piscis, a בְּנָה fit בֶּן filius. Cum autem שְׁתִּי, a שְׁתָּה, computationem seu συμπόσιον (e) & מִשְׁתָּה convivium lautissime instructum (f) significat; quid impedit, quominus שַׁת *Ebrietatem* commodissime designet. Neque minus id in amplissima luce positum est, Patriarcham Loth, cum vino somnoque velut oppressus iaceret; neque id, quod cum filia sua nocte intempesta gesserat negotium, per ebrietatem gravem nosset; Moabum ab ea suscepisse. (g) Quare Bilham, elegantissime non minus, quam etiam iure optimo Moabitas, שַׁת בְּנֵי *filios ebrietatis* adpellare potuit. Nam Moabitas, non dissimilem natalibus suis vixisse vitam, tristissima illa Historia, quae Numer. C. XXV. legitur, evictum dedit. Enimvero Iudaeos, a Moabitibus & Baccho & Veneri indulgisse, divinus Scriptor memoriae prodidit. (h) Neque video, cur in versu sequenti (i) קַיִן reddatur per *Kain* & non potius per *ensem* vel *gladium*, ut illa vox alibi (k) usurpatur. Adeo ut, mea quidem sententia, ita illa transferri possint: quamquam munita sit sedes tua; (*Kenae &c.*) nihilo secius devastabitur gladio, usque quo Assur tandem captivum te ducat. De Kaino hic cogitandi, quod vox superior שַׁת interpretibus occasionem dederit; nemo non oculatior videt.

- (a) Num. XXIV. 17. (b) 2. Chron. XXIX. 11. 2. Reg. IV. 28. Iob. XXVII. 8.
 (c) 2. Sam. VI. 7. (d) Iesai. XVI. 6. (e) Ecclef. X. 17. (f) Efai. XXV. 6.
 (g) Gen. XIX. 32. sq. (h) Num. XXV. 2. 8. confer. 1. Cor. X. 7, 8. (i) Num. XXIV.
 22. (k) 2. Sam. XXI. 16.

S. II. In Apostolica illa, de Episcopis seu Presbyteris lege, (a) simultaneas tantum, non autem successivas vetari nuptias, vti loquuntur, vulgatissima plerorumque Theologorum Protestantium est sententia. Quominus vero, in hanc & ipse ego, pedibus velut ire sententiam potuerim; multa eadem haec saepe conantem prohibebant. Enim vero, S. Apostolus eadem prorsus ratione, mulieres viduas deligi iubebat, ad certas res sacras curandas sive Diaconissas, quae vni tantum viro in nuptias convenerant. (b) Per has vniviras vel illae sunt intelligendae, quae semel tantum connubii molestias sunt expertae? vel quae vno eodemque tempore vni solum viro, non autem pluribus simul in matrimonio erant? Cum autem locum priorem, praestantissimi interpretes hoc modo exponunt: illi ab Apostolo ad sanctissimum munus aditum denegari, qui plures simul vxores habet; ex lege oppositionis, idem vt de Diaconissis dicant; illam non posse Diaconissam eligi, quae pluribus simul viris nupta erat: atque ita posteriorem hanc, vt tueantur sententiam, necesse est. Quodsi ita est, illud viris optimis demanstrandum incumbit, temporibus Apostolorum non solum πολυγαμίαν, sed etiam πολυανδρίαν in Graecia receptissimi vsus fuisse. Quod vtrumque falsissimum esse, eorum nemo non videt; qui historiam ejus temporis vel fugientibus oculis inspexit. Contra ea, id in magna luce positum est, iam antiquissimis temporibus, a Cecrope (c) legem fuisse latam, vt vnus, vni tantum feminae eodem tempore connubio iungeretur. Xenophon certe, non solum legis illius, quae vnum vni iunxit, clarissime meminit; sed ejus legis originem ad Deum refert. (d) Pausanias memorat, in Achaia Telluris sacerdotio feminas functas; quae vni tantum marito nuptae fuerint. (e) Adhaec, ea quibus Apostoli in terris agebant aetate, nemo nescit, totam graeciam in Provinciae formam a Romanis redactam, legibus vixisse Romanis. At Romanorum legibus, vna vni tantum viro, eodem tempore nubere potuit, & vnus, vnam tantum connubio sibi iungere (f) Quid? quod VNIVIRAE in templo *Pudicitiae* sacra faciendi ius singulare habebant. (g) Quare cum Iustinus M. (h) de Christianis adfirmat, γαμοῦσιν ὡς πάντες, tum Athenagoras clarissimis verbis ad M. Aurelium & L. A. Comodum Imp. scribit: γυναῖκα μὲν ἕκαστος ἡμῶν ἢ ἡγάγετο κατὰ τοὺς ὑφ' ἡμῶν τετειμένους νόμους, νομίζων κ. τ. λ. (i) Tandem nemo melius

melius de mente Apostoli iudicare potuit, quam Ecclesia quae Apostolorum aetatem proxime attigit. Eam vero alio longe sensu, verba Apostoli accepisse, quam hodie fieri assolet, Tertullianus, (k) evidentissime docet. *Quantum, inquit, detrabant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae.* DISCIPLINA ECCLESIAE ET PRAESCRIPTIO APOSTOLI *declarat: cum DIGAMOS non sinit praesidere; cum Viduam adlegi in ordinem nisi VNIVIRAM non concedit.* Quid hoc aliud est? quam sua aetate, quippe qui anno 192 factus est Presbyter, a viris apostolicis in Ecclesia, hoc sensu accepta Apostoli verba fuisse, quod iis tantum ad munus sacrum ille aditum concessit, qui vnus tantum matrimonii vinculo nexi fuerant. Neque contra hoc tam clarum Tertulliani testimonium, illa exceptio aliquid valet, quod is Montanista demum, secundas quorumvis damnabat nuptias. Non enim de eo hic nobis sermo est; an ille tandem Montanista, omnes & omnium nuptias secundas damnans errabat, quod facile largimur; sed an ea aetate apostolica Tertulliani, in Ecclesia Catholica, Presbyteris secundas iterum nuptias celebrare licitum fuit? id vero est quod conceptis verbis Tertullianus negat; atque in hoc negotio *Disciplinam Ecclesiae*, vel si mavis Canonem Ecclesiae; velut argumentum maximi ponderis; ut uxori id quod voluit persuadeat, adducit. Quod vero Tertullianus, nondum Montani errore infectus, haec ad uxorem scribebat, (k) inde clarum est; quod periodo praecedenti uxori ait, eam *non delicturam si remiserit*, h. e. si illa iterum nuptias secundas, post eius mortem celebraverit; id quod ea quae prius diserebat ostendunt. Sed cum demum in Montani castra discessionem fecit, *non interest*, inquit, *vivo an mortuo viro nubat.* (mulier.) *Addulteratur autem, qui alteram carnem sibi immiscet, super illam pristinam, quam Deus aut coniunxit in duos, aut coniunctam deprehendit.* (l) Item, *aliud habebit in Spiritu, (virum iam defunctum) aliud in carne, hoc erit adulterium vnus feminae in duos viros conscientia.*

Ergo cum iam Montanista erat Tertullianus, secundas nuptias pro adulterio habuit, (m) quas tamen sine peccato iniri posse, in libro ad uxorem scribebat. Verum communem illam de Presbyteris fuisse Ecclesiae Sententiam, ex obiectione Catholicorum, quam hi Montanistis opponebant, & quam Tertullianus etiam solvendam sibi sumsit, clarissime conficitur. Adeo inquit (Psychici h. e. Catholici) *permisit Apostolus iterare connubium; ut SOLOS, QUI SVNT IN CLERO, monogamiae iugo adstrinxerit.* (n) Quod demum quaeso, hoc testimonio evidentius potestulabis?

stulabis? Origenes certe, huius rei tanquam communis Ecclesiae consuetudinis meminit. *Ab Ecclesiasticis*, inquit, *dignitatibus*, non solum fornicatio; sed & nuptiae repellunt; neque enim Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua possunt esse Digami. (o) At Origenes aequalem habebat Tertullianum. Qui locus eo melius in rem nostram facit, quod hic, phrasis Apostolica *μιάς γυναικός ἀνήρ*, eodem sensu ab Ecclesia accepta fuisse ab Origine innuitur; quo altera de Diaconissis, *ἐνὸς ἀνδρός γυνή*. Vt nunc de iis taceamus, qui aetate paullo Origene posteriores erant; sed in eundem sensum verba Apostoli interpretabantur: inter quos videri possunt Ambrosius, (p) Hieronymus, (q) Epiphanius (r), immo etiam canon Apostolorum XVII, quos ego, a Synodis Seculi secundi & tertii conscriptos fuisse, cum Beveregio censeo. Tandem inspici possunt Canon. I. Concil. Agathensis & Can. 69. Carthagin. Concil. IV. tum Laodicensi Can. I. Lucem huic rei multam denique adfudent, Iustinus Martyr, (s) Athenagoras, (t) Theophilus Antiochenus, (u) Minucius Felix, (x) Basilus M. (y) & alii inspecti.

- (a) 1. Tim. III. 2. (b) 1. Tim. V. 9. (c) Athenaeus l. IV. c. 11. & L. XIII. in princ. (d) De administratione domestica p. m. 661. (e) In Achaic. c. 25. p. m. 591. (f) Imp. Valerian. & Gallienus. *Eum* inquit, *qui duas simul habuit uxores*, sine dubitatione comitatur infamia l. eum qui 18. C. ad l. Iul. de adulter. Sic Diocletian. & Maximianus Imp. *Nemini*, aiunt, *qui sub ditione sit romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet; cum etiam in edicto Praetoris, huiusmodi viri infamia notati sint.* Cod. l. V. Tit. 5. de Incest nupt. c. 2. Primus autem ex Romanis Antonius, duas uxores contra omnium romanorum morem habuisse, a Plutarcho notatus est. In collatione Demetrii & Antonii. *Ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἡγάγετο πρᾶγμα μεδὲν Ῥωμαῖω τολμημένον.* Lepidum sane est, id quod Papyrius matride nuptiis commentus est; sed quod egregie etiam in rem nostram facit A. Gell. l. I. c. 23. Vnam vni tantum semel iungi potuisse, & Dionys. Halic. l. II. p. 95. docuit. (g) Apud Romanos sane ea aetate qua Apostoli vivebant, *VNIVIRAE* nomen, quod mulierem vni tantum viro nuptam significaverit; ex Livio non multum Paulo Apostolo antiquiore disci potest. Is enim *univiram*, idem significantibus verbis *VNI* (viro) *NUPTAM* ad quem *Virgo deducta est*, adpellavit. Hist. l. X. c. 23. atque e facello Pudicitiae illas exclusas fuisse, quae pluribus deinde viris nupserunt, praeter priorem maritum; ex eodem loco perspicui potest. Possem huc, ex Ethnicorum scriptis multa conspergere, atque id demonstrare, apud omnes paene gentes moratiores *μονογαμίαν* in magna semper laude fuisse; nisi aliunde abunde mihi constaret; talia vix sine reprehensione multorum, in huiusmodi scriptis hodie posse proferri. (h) In Epist. ad Diognet. §. 5. p. m. 236. (i) Legation. pro Christianis p. 310. Scribebat vero anno P. N. C. 177. (k) Ad uxorem l. I. c. 7. (l) De Monog. c. 9. 10. (m) Ibid. c. 11. & in locis c. 9. & 10. adductis. (n) Ibid. c. 12. (o) Homil. XVII. in Lucam. (p) De offic. l. I. c. 5. (q) Epist. 2. ad Nepot. (r) In expositione fidei n. 22. (s) Apol. I. §. 29. p. 61. (t) Legat. pro Christianis §. 33. p. 311. (u) Ad Autolycum l. 3. (x) In Octav. (y) In Epist. ad Antiochum, quae tandem in canones

mones recepta est. Qui autem, ab Apostolo hic loci, per Digamos, illos cum Vener. Beza in Comment. ad h. l. intelligi volunt, qui iuste vel iniuste de causa priori vxori repudium dederunt, recte quidem in eo sentiunt, quod eos, ab Ecclesiastico munere ab Apostolo exclusos agnoscunt; sed an in hoc sensu acquiescendum sit, & non ultra vis phraeos extendenda? longe alia est quaestio. Nos saltem videmur, id evictum dedisse, Apostolum ex more Graecorum & Romanorum qui tum vivebant; phrasas istas tum de Episcopis, tum de Viduis vsurpasse. Ceterum cum modulus dissertationis huius, pluribus haec persequi prohibet; cum in arenam descensum fuerit, obiectionibus satisfacere connitemur.

§. III. Eruditus Monachus S. Mauri, qui Iustin. Athenag. cet. Parissii edidit, (a) maiorem in modum sibi placet, in Iustini verbis, quae Apologia prima (b) reperiuntur; οὐ γάρ, Iustinus inquit, ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. ἀλλ' ὃν τρόπον δια λόγου θεοῦ σαρκοποιή-
 θεις ἰσοῦς χριστός ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὗτος καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου, τοῦ παρ' αὐτοῦ, εὐχαριστήσαν τροφήν, ἐξ ἧς, αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν· ἐκείνου τοῦ σαρκοποιή-
 θεντος ἰησοῦ καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum, per verbum Dei caro factus Iesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem habuit, nostrae salutis causa: Sic etiam, per preces verbi, ab illo verbo (precationis) benedictam alimoniam, ex qua (alimonia) sanguis & corpora nostra, per transmutationem nutriuntur; illius incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus. Sic intricata haec verba reddidimus. Omnem hic lapidem, Vir Doctiss. movit, (c) ut conficiat Iustinum eadem cum Pontificiis de S. Coena sensisse, & penitus ex mente eorum scripsisse. Sed quam sterilis sit omnis ille, quem huc impendit labor, paucis ostendemus. Ex Iustini verbis, inde Vir Doct. argumentum sumere conatur, quod in l. c. Iustinum putat docere; Christianos, eadem prorsus ratione credere, Christi D. corpus in S. Coena esse; quam de eo persuasi fuerunt, Christum verum corpus humanum habuisse; atque ita sibi Vir Cl. plane persuasit, Iustinum inter incarnationis mysterium & Eucharistiam, comparisonem hic instituisse. At omne aliud potius, quam quod ille contendit, Iustinus docet. Id primum de Christianis, Iustinus ingenue confessus fuerat, eos Christum D. verum profiteri Deum, (d) qui ex virgine verus homo natus est: (e) tum Divinitatem eius probavit, (f) denique id etiam narrare exorsus fuit, quos ritus in sacris faciundis adhibeant. (g) Quare perspicue docet, Christianos illis, qui iam apud eos per baptismum, religioni illi, quam antea de Patre Filio & Spiritu sancto exposuit, initiati sunt; panem & vinum dare, sive cibum ali-

aliquem, (h) sed non vulgarem aut vilem; verum talem, qui postea quam per preces consecratus est, illius Iesu, quem ante, carnem humanam sibi propriam adsumpsisse ostendit; corpus & sanguis deinceps ab iis habetur, non autem panis & vinum vulgare. l. c. Nullus hic penitus sermo est, de imaginaria illa Pontificorum *transubstantiatione*, sed simplicissime adfirmat, Christianos panem & vinum, postea quam per preces consecrata sunt, Iesu Christi corpus & sanguinem vocare. Quid enim aliud vult? cum dicit, ἐδιδάχθημεν εἶναι, *edocti sumus esse*, id est, vt antea locutus est, non vulgarem panem amplius vocamus, sed corpus Christi. Id quod, & nos ipsi lubentissime dicimus & facimus. Atque eadem ratione, qua olim Iustinus sentiebat, nos etiam, *per transmutationem alimentorum panis & vini, corpus & sanguinem nostrum, in S. Coena nutriri*, vno ore profitemur. Id quod Pontificii pernegant, cum post benedictionem, non amplius panem superesse adfirmant, sed species nudas. (i) Quibus umbris, corpora nostra posse nutriri, is tantum credet: qui numi argentei sonitu, etiamsi pecunia creditori non tradatur; debitum tamen posse persolvi, sibi persuadeat. Accedit ad haec illud etiam, quodsi eadem cum Pontificiis, de vino Coenae Dominicae Iustinus sensisset, nullo modo videtur Ethnicorum calumniam potuisse depellere & obiectioni eorum satisfacere. Hi enim, Christianos in suis sacris αἵματος ἐμπίπλασαι *sanguine implevi* aiebant. (k) Quod si enim Iustinus credidit, Christianos in suis sacris coetibus, sanguinem Christi ore haurire: sane Ethnicorum illa vox, non calumnia; sed vox verissima fuerat. Neque video, quomodo alias, Iustinus negare potuisset: Christianos ταῦτα τὰ μαθήματα φεῖγειν, huius generis doctrinas, quod sanguine impleantur fugere, (§. eodem.) si de omni sanguine, hoc intellectum voluit. Id enim Iustinus, nullo modo ignorare potuit, doctrinam de S. Coena occasionem Paganis dedisse, vt eas, de sacris Christianorum opiniones foverent; eos illic carnes humanas vorare, convivique Thyestea agitare; simulque sanguinis haustu impleri, & tam sacrato poculo, velut auctoramento quodam, ad scelera compingi. Nusquam commodius, quam hic loci Iustinus respondere potuisset; Christianos non infantum vel hominum aliorum sanguinem bibere, sed Christi. At ille, a Christianis sanguinem bibi rotunde negat; immo vero palam testatur eos talia dogmata fugere, & quod huiusmodi instituta, Pagani αὐτοῖς περιβάλλουσι, iis adfingunt. (§. eodem.) Iustinus sane, quod Corpus Christi non ori & dentibus dari putaverit: sed panem *ad recordationem mortis Christi*, & poculum

in commemorationem fusi sanguinis esse institutum, crediderit : totidem verbis ille ipse docet. (l) Vt adeo nihil praesidii , Cl Virum in Iustino , pro errore suo incrustando reperisse palam sit.

(a) 1742. in fol. (b) §. 66 pag. 83. (c) praef. suae quam Iustino praemisit Part. II. c. 9. (d) §. 13 p. 50. § 23. p. 57. (e) §. 30. -- 34. p. 65. (f) §. 38. p. 41. 45. 50. 51. 60. (g) § 61. 65. p 82 83. (h) Vide locum citat. ad (b) (i) Concil. Trid. sess. 13. Can. 2. p. m. 59. (k) Apol. II. §. 12. p. 97. (l) Dial. cum Tryph §. 41. p. 137. Dialog. eiusdem §. 70. pag. 169. Verba describere ipsa angustia loci non patitur.

§. IV. Non minus eruditus ille Vir , (a) acriter contendit , Iustinum credidisse , Eucharistiam esse sacrificium proprie dictum ; sed quod eum, idem praeiudicium , quod ante ad Iustinum legendum attulerat in errorem induxerit ; velut in compendio videbimus. Clarissima illa Iustini sunt (b) ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀγίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοι εἰσι τῷ θεῷ θυσαίαι , - ταῦτα γὰρ μόναι καὶ χρεῖστανδὲ προέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ἑστῆας τε καὶ ὑγῆας, ἐν ἧ, καὶ τοῦ πατρὸς ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ μέμνηται. Equidem preces ex gratiarum actiones , quae a dignis peraguntur , SOLA SUNT PERFECTA ET ACCEPTA DEO SACRIFICIA. Haec enim sola (sacrificia) Christiani peragere didicerunt , etiam in recordatione alimoniae suae siccae & liquidae , in qua (Alimonia) passionis , quam filius Dei propter eos pertulit recordantur. Cum haec ita Iustinus exposuit , sequenti §. statim subiicit : (c) Hic enim eximius Sacerdos Christus , cuius in secundo adventu , ne existimetis Esaiam aut ceteros Prophetas dicere , sacrificia sanguinis aut libationum altari imponi , ἀλλὰ ἀληθινούς καὶ πνευματικούς αἶνους καὶ εὐχαριστίας. Sed veras & spirituales laudes & gratiarum actiones. Doct. Editor vertit , sed vera & spiritualia , laudes & grat. cet. id est sacrificia ; cum tamen omnes codices illa duo adiectiva , virili genere legunt ; atque ita ad αἶνους referuntur. Hoc tantum Editor in notis ad h. l. monet , *Visa est mihi interpunctio necessaria* , id est post vocem πνευματικούς. Credo sane , sed quam ab eo , nec regulae bonae interpretationis ; nedum Iustinus requirebat. Iustinus enim Tryphoni ait , non amplius proprie dicta sacrificia altari imponi , illud enim tempus quo id fieri solebat , exspiravit ; sed laudes & gratiarum actiones Deo offerri ; quae , sola sunt vera sacrificia. Eadem prorsus ratione , vt in expositione rectae confessionis §. 18. ad finem. χρεῖσται ὅμοιαν διηγεκῶς θυσίαν αἰνέσεως , καὶ σπένδμεν ὡς θεῷ δεήσεις εἰλικρινεῖς. Ex quibus intelligitur , solas preces & gratiarum actiones , Iustinum sacrificia Christianorum credidisse : vti eius verbis docuimus evidentissime. Neque panem aut vinum Eucharisticum , ille vnquam sacrificium esse cogitavit : sed in huius etiam Coenae

Dominicae celebratione , sacrificii vices explere , preces & gratiarum actiones coniunctas , existimavit. Enimvero I. c. (b) Panem vocat eiusmodi alimoniam aridam , vinum autem potum liquidum , in cuius esu Christiani passionis Christi recordantur. Cum enim prius dixisset , *preces & gratiarum actiones sola esse perfecta sacrificia* : ita continuo differit : Haec enim sola (preces & gratiarum actiones) tradita acceperunt Christiani facere , etiam in recordatione alimoniae cet. Ergo in S. Coena, Iustinus putavit preces & gratiarum actiones esse sacrificia ; panem autem & vinum alimoniam talem , in cuius esu & potu , Christiani passionis Christi recordantur. Non difficulter itaque nunc , ad locum Iustini (d) quem Doct. Editor tanto animi aestu adversus Cl. Pfaffium vrget (e) respondimus ; *περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῶν θυσιῶν, τούτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίος τῆς εὐχαριστίας.* Hic sane cum *panem & poculum sacrificium vocat* , non panem aut calicem putat esse sacrificium Christianorum ; quis enim tam absurdus sit , qui credat poculum auro , tilia vel fagina celatum , sacrificia esse Christianorum. Tiresia ipso sit coecior ille oportet , qui non videt , figurate S. Iustinum loqui & ἄλλο πρὸς ἄλλο nominare. Quod sacris iuxta ac aliis scriptoribus vñtissimum est. Praeterea Pontificii negant , panem amplius superesse post consecrationem in Eucharistia : qui igitur erit sacrificium , quod ne existit quidem ? Denique Pontificii , non panem aut poculum dicunt esse sacrificium , vt Iustinus locutus est ; sed corpus & sanguinem Christi proprium , quod in cruce iam semel oblatum est , illud iterum in Missa immolatum , sacrificium esse contendunt. (f) Quid igitur hoc Iustini testimonium , ad eorum sacrificium incruentum ? facillimum vero id est expedire , cur panem & poculum , Iustinus *sacrificium* aiebat. Enimvero , nec panis , nec vinum S. Coenae , prius in sacro coetu dividebatur , quam preces & gratiarum actiones , a Praefide sacrorum recitatae fuissent. (g) Atque haec est ratio , cur S. Coenae , nomen Eucharistiae a veteribus datum est , & quasi proprium id nomen ei haesit ; quia ὁ προεστὸς εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἐπὶ πολὺ ἀναπέμπει , vt Iustinus loquitur. (h) Quod vero , pluribus verbis conceptae fuerint eiusmodi preces , ex Irenaeo etiam intelligi potest. (i) Quare , cum panem & calicem benedictionis , Iustinus sacrificium hic adpellabat ; dubitari nequit . illum preces & benedictionem , quae pani & vino iungebantur ; sacrificia esse , intellexisse. Alias enim Iustinus sibi contradiceret , quod ex antea dictis perspicui potest. Neque alio sensu , seculi secundi scriptores , locutos fuisse , quam

quam nunc statim exposuimus, facile reperias. Vnus nobis Clemens Alexandr. Origenis praeceptor, qui iisdem paene verbis quibus Iustinus usus est, sufficiat. (k) Tandem, quod ultimo loco Vir doct. posuit argumentum Iustinum scilicet docere, Christianos in hoc sacrificio, passionis Christi recordari; vide lit. (b) §. huius. id prorsus falsum est; Non enim ait Iustinus, ἐν ἡ θυσία, sed ἐν ἡ τράφη in qua alimonia. Multa praeterea, in splendida illa editione, obelo notari possent & deberent, nisi male contractati limites scriptionis huius prohiberent.

(a) Praef. in Iust. part. II. c. 10. (b) Dial. cum Tryph. §. 117. p. 210. (c) Dial. eodem §. 118. p. 211. (d) Dial. eod. §. 41. p. 138. (e) In Praef. in Iustin part. II. pag. 43. (f) Concil. Trid. Sess. 22. c. 2. p. m. 109. (g) Apol. I. Iustin. §. 65. 67. (h) Ibid. Iustin. (i) Irenaeus lib. I. cap. 13. §. 2. (k) Stromat. lib. VII. de oration. θυσίαι τῶ θεῷ εὐχαὶ τε καὶ αἶνοι καὶ αἱ πρὸ τῆς ἐξιστάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν ἱερεῖς δὲ καὶ ὕμνοι κ. τ. λ. Cum autem apud alios vet. Eccl. Doctores nonnulli, qui seculis deinde tertio & sequentibus, usque ad sextum florebant, Eucharistia ἀναίμακτος θυσία sacrificium incuruentum dicitur; id idcirco fit, quoniam in Eucharistia fit commemoratio sacrificii a Christo semel peracti & oblati: Pulcre id B. Chrysof. Hom. XVII. in Ep. ad Hebr. docuit: οὐκ ἄλλην θυσίαν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν αὐτὸ ποιοῦμεν, μάλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα τῆς θυσίας.

§. V. Nobilis, multorumque coniecturis obnoxius locus ille est, qui apud Eusebium in Hist. Eccl. lib. V. reperitur (a) de hoc etiam tribus verbis nobis loqui animus est. B. Irenaei verba ad Victorem, Romanum Episcopum, ita leguntur: οἱ μὲν γὰρ οἰοῦνται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν εἰδὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Cl. Dallaeus (b) & cum illo plures alii postrema verba, sic transferri volunt. Nonnulli vero *quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem suum commetiuntur*. Immo Doct. Valesius etiam, hanc versionem editioni suae adiecit & in notis ad h. l. *quadraginta horas ieiunii*, quae a Christianis quibusdam ante Pascha observatae fuissent, intelligi vult. Sed quis unquam diem unum XL. horarum vidit? nec apud veteres viros, quod sciam, XL. horarum ieiunii vlla est mentio. Non mihi quidem latet, Dionysium Alexandr. & Epiphanium, scriptum id reliquisse, quosdam duo, alios vero tres dies ieiunasse: sed quid hoc ad XL. horas adinet? Rationes Cl. Valesii mihi tanti ponderis non sunt visae, ut cum eo & aliis, XL. horarum ieiunia Christianos celebrasse, mihi persuadere potuissem. Cum enim ex eo argumentum necit, varios Cod. MSS. post τεσσαράκοντα, comma adscriptum habere; Medicaeum vero & Fuketianum Cod. post vocem ὥρας virgulam adfigere: id admodum

debile est. Quis enim est, qui nesciat, qui codices aliquando vetustiores inspexit, in iis vel nullas, vel saltem paucissimas conspici notas distinctionum. Atque ea quae Cl. Vir argumenti loco adduxit; omnes nempe illos codices, qui ipsi ad manus erant, a voce τεσσαρακοντα ad finem periodi, nullum habere signum interpunctionis: item Medicaeum & Fuketianum Cod. MSS. post vocem ὥρας habere comma, tandem Regium codicem post νυκτερινὰς, idem adscriptum habere: luculentissime illum monere potuissent, ex adscriptis vel neglectis signis distinctionum, nullum hic loci solidum capi posse argumentum. Quid? quod haec adducta codicum exempla, quae tam diverso modo hac linea interpuncta Valesius ait, manifeste sententiam eius evertunt. Altera eius quam adtulit ratio, non multo plus roboris habet; cum in voce πλείονας. XL. illos dies, iam ab Irenaeo inclusos esse putat; atque ita superfluum prorsus fuisse iudicat id addere, quod XL. dies alii ieiunent: si haec de diebus, non autem de horis Irenaeus intelligi voluisset. Ego vero, nihil plane absurdi in hac re video. Id enim ex Hist. Ecclesiastica certissimum est, saltem primo, secundo & ineunte tertio seculo, nondum id consuetudine communi receptum, aut lege certa constitutum fuisse, ut XL. in solidum dies, omnes in univsum Christiani ante Pascha, ieiuniis dicarent. Id quod inter alia, & verba Irenaei laudata monstrant; tum vero Socrates senioris aevi Scriptor, qui seculo quinto florebat, clarissime docet; sua adhuc aetate, tantam fuisse diversitatem, in ieiunio ante Pascha celebrando; ut Romae XXI. in Achaia, Alexandriae & Illyrico XLII. apud alios denique XV. dies, ieiunio destinati fuerint. (c) Paria habet Sozomenes (d) Quare, non sine ratione Irenaeum scripsisse puto, quosdam plures dies ieiunare; hoc est paullo plusculum quam duo aut tres dies. Quosdam vero plane XL. dies ieiunare; quod creditu difficilius videbatur. Quae cum ita a nobis exposita sunt, Ruffini interpretationem vetuissimam, omnibus aliis anteferendam putamus. *Quidam enim ille transtulit putant uno tantum die observari debere ieiunium, alii duobus, alii vero pluribus, nonnulli etiam quadraginta: ita ut nocturnas diurnasque horas computantes, diem statuunt.* Nunc id nobis solvendum restat, quod Cl. Valesium constrictum tenebat: quid verba illa ὥρας ἡμερῖνας κ. τ. λ. sibi velint: me nisi omnia fallunt, id Irenaeus, tam paucis verbis vult docere, quosdam ex Christianis XL. dies ieiunare; non dies naturales XII horarum, sed artificiosos, qui XXIV horis constant, ἡμερυνῆκτια. Quo ipso simul monstrat, ieiunium hoc fuisse Christianum, non vero more Iudaeorum celebratum,

bratum : qui non infrequenter cum totum diem sine cibo transigebant, nocte deinde liberalius commissabantur. Hanc interpretationem, verba ipsa Irenaei mihi ostendere videntur : qui non solum de die controversiam fuisse scribit, sed etiam *de modo ieiunii*. Talia enim ieiunia Christianos habuisse, in quibus ad horam tantum post meridiem tertiam ieiunare solebant, Tertullianus (e) & Epiphanius (f) dubitare nos non sinunt. Quare non sine ratione puto Canonem L. Laodicenum Anni 365. scripsisse *Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαράκονθην νηστεύειν ἑξήσοφάγουντας* : Oportet totos XL. dies (hoc est nocturnas diurnasque horas simul intelligendo) ieiunare, aridis vescentes. Dubitari certe non potest, Polycratem non solum de die Paschatis, quo die Asiatici illum observarent, ad Victorum scripsisse ; sed etiam id ei exposuisse ; quot diebus ante Pascha, ieiunio vacent, & qua ratione, quove modo, ieiunia celebrent. Id quod ex admonitione Irenaei ad Victorem colligere licet. Enimvero non totam nobis Eusebius Polycratis servavit Epistolam. Nam non solum ob diem Paschatis Victor Romanus videtur Ecclesias Asiaticas a Communione sacrorum exclusisse : sed etiam propter *modum & formam ieiunii*, quod verba Irenaei saepius iam laudata docere videntur. *Neque enim solum de die (Paschatis) est disceptatio : ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἶδους αὐτοῦ τῆς νηστείας. Sed etiam de MODO eius ante Paschalis ieiunii.* Neque tam novum est, ieiunium XL. dierum, vt quidam putant. Enimvero Origenes. Hom. X. in Levit. *Habemus enim quadragesimae dies ieiuniis consecratos.* At ille aequalis erat Tertulliani. Id saltem mihi indubitatum est, Christianos secundo seculo iam inclinante & initio tertii, non solum id sibi persuasisse, duo illos dies qui Pascha anteibant, Veneris & Sabbathi (g) in Evangelio esse praedictos (h) in quibus Ecclesia ieiunare deberet. Sed etiam credebant, illos duo dies, ab Apostolis toti Ecclesiae esse traditos & praescriptos. (i) Quorsum hac Lector. B. a me dicta sint, tibi arbitrandum relinquo ; facilius autem mentem meam penetrabis, quodsi conditionem nostrorum temporum, veteris Ecclesiae Virginis ornamentis comparaveris. Multos veteris Ecclesiae ritus innoxios, e sacris nostris proscripsimus : cedo rationem ? quia tandem iis superstitiosi homines abutebantur, vel quod adversarii nostri illos defendunt, quasi vero ritus, non autem animus pestifero errore imbutus, haereticum aliquem faciat !

(a) Hist. Eccl. l. V. c. 24. (b) De ieiunio & quadrag. l. III. c. 9. (c) Hist. Eccl. l. V. c. 22. (d) Sozom. l. VII. c. 19. (e) De ieiun. c. 3. (f) In expositione fidei (g) Tert. de Orat. c. 14. Die Paschae communis ieiunii religio est, & adversus Psych. c. 14. Vos etiam sabbathum continuatis cet. (h) Matth. IX. 15. (i) adversus Psych. c. 2. Certe in Evangelico illos dies determinatos putant (Catholici) in quibus ablati cō sponfus. Cum mihi hic reliqua exscribere non liceat, te ea inspicere ne pigeat.

§. VI. Celeberrimus BEVEREGIVS (a) multus in eo est, vt id conficiat in Epist. I. Clementis (b) per Episcopos, B. Clementem nullo modo Presbyteros intellexisse: sed sub nomine Diaconorum, eos fuisse ab eo significatos. Id vero aliter se habere in compendio exponemus. Enimvero cum B. Clemens, meliora Corinthios de eo docere volebat, quo loco Pastores suos habere deberent, id primum iis exposuit, Episcopos & Diaconos a Christo & Apostolis esse datos Ecclesiae l. c. Quare gravissime eos de eo, in quod impingebant, reprehendit, quod Episcopos loco suo moverunt. (c) *Non enim, inquit, leviter peccabimus, si eos, qui sancte munera offerunt ἐπισκοπῆς ἀποβαλῶμεν Ἐπισκοπату eiiciemus.* Sed quos hac linea Episcopos adpellabat; statim in ea quae hanc excipit, Presbyteros vocat, μακάριοι οἱ προσδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, ἃ γὰρ ἱυλαζοῦνται, μὴ τις αὐτοὺς μεταστήσῃ, ἀπὸ τοῦ ἰδρουμένου αὐτοῖς τόπου. Ergo ii, quos fede sua Corinthii deturbabant, erant Episcopi per periodum priorem; sed erant Presbyteri per posteriorem. Accedit, quod B. Clemens ait: ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἐνίοις μετηγάγετε, videre se, quod nonnullus Episcopos Corinthii loco movebant. Non vnus igitur, sed plures eodem tempore Corinthii Episcopi fuere. Id quod longe adhuc clarius ex iis, quae postea adduxit, patet. (d) Enimvero super illud ovile Christi, quod Corinthii erat, Presbyteros constitutos esse docet. Quare cum acerba eorum castigatione adnectebat: (e) Turpia Fratres percrebescunt, Corinthiorum Ecclesiam vnus aut duorum causa σαζιᾶζειν, πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, *seditioem concitare adversus Presbyteros.* Quos igitur Corinthii sedibus, eiecerant, ii erant Episcopi per litteram (c) sed erant Presbyteri per litteram. (e) Relinquitur igitur, sub nomine Episcoporum B. Clementem Presbyteros intellexisse. Plures sane fuerant, qui & serioribus temporibus idem cum B. nostro Clemente senserant. Vnum mihi Theodoretum testem adduxisse sufficiat. (f) ἐπισκόπους τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ (τ. ε. Ἀπόστολος) ἀμφοτέρα γὰρ ἔιχον κατ' ἐκείνων τὸν καιρὸν τὰ ἐνέματα. At Theodoretus, seculo V. demum floruit. Brevissima est regula, sed vtilissima: vna eademque res, variis modis bene fit. Sed quis tot diversa capita, sub vnum pileum revocabit!

(a) In Codice Canonum a se Illustrato p. m. 274. (b) §. 43. p. 63. (c) §. 44. p. m. 66. (d) §. 54. p. 79. (e) §. 47. p. 71. (f) Ad vers. 1. in Epist. ad Philip. c. 1.

§. VII. Multi Iustinum M. in narratione illa, de statua Simoni Mago, Romae in insula Tiberi posita, ἀσελείας accusant. (a) Atque vt Iustini hoc Testimonium refellant, lapidis illius auctoritatem adducunt, qui Gregorio XIII. Pontifice, Romae in insula Tiberina inventus est. (b)

Inscri-

Inscriptio in ea erat, SEMONI SANGO DEO FIDIO SACRVM. SEX. POMPEIVS S. P. E. COL. MVSSIANVS -- D. D. Iustinum VALESIVS putat (c) nomen similitudine hic deceptum fuisse: nec Romanos, Deos suos SANCTOS adpellasse existimat. Sed quis sibi facile persuadeat, in tam gravi scripto, quod ad Imperat. & Senatum Romanum Iustinus perferri volebat, minus sibi explorata, probe perspecta; ad ampliff. eorum confessum, referre ausum fuisse. An ergo eiusdem oscitantiae vitio, in lectione illius inscriptionis, etiam Tertullianum Valesius accusabit? qui homo tamen diligentissimus in examinandis rebus fuerat, & qui per omne tempus paene vitae suae, Romae versabatur. Ego saltem, mihi persuadere non possum, hos bonos Viros, tam futilia ad Imper. & Senatum scribere voluisse: propter quae, merito etiam a pueris exhiberi potuissent. Nonne animum, satis de Historiae certitudine edoctum, illud ostendit; cum Iustinus, Imperat. & senatum rogat, vt statuam Simoni M. positam demoliantur ac evertant? Illud vero prorsus falsum est, id a Romanis non frequentatum, aut a moribus eorum alienum fuisse: Deos suos SANCTI titulo ornare. * Apud Gruterum, plures Tillemontius eius generis inscriptiones observavit. Quod lapidem productum attinet, vnus affirmatio, non est alterius negatio; vt Logici loqui amant. Plures rationes si necesse erit, coram adferam. Illud denique etiam, mihi testatissimum est, Petrum cum Romae fuisse; tum mortem illic crudelissimam, cum laude subiisse, id quod Irenaeus (d) Clemens Alexandr. (e) Tertullianus (f) Origenes (g) adfirmant. Mitto alios ferioris aevi scriptores, Lactantium, Eusebium, cet. quos apud CAVE (h) repperies. Quod si in hoc negotio, fidem his Scriptoribus abiudices, non video, cur non omnia alia, quae scriptis commendarunt; eodem modo repudies. At Romae, annis XXV. Petrum Episcopatum tenuisse, cum rationibus Chronologicis pugnat: id quod Frider. Spanhemius Fil. & Cave, erudite vt solent, vterque demonstrarunt, quibus in hoc negotio lubens subscribo. Nollem tamen, hinc haec inficeta confectaria deduci: Petrus Romae per annos XXV. non fuit; ergo ne Romae quidem fuit: item Petrus Romae versabatur ac docebat; efficitur itaque illum, vt Episcopum stricte ita dictum, Ecclesiae Romanae praefuisse. Enimvero, eadem Petri & Pauli Romae erat auctoritas, vterque in Ecclesia ea aedificanda, & solidis fundamentis superstruenda laborabant; vterque Episcopi vrbis erant; quippe qui, Ecclesiae Romanae inspiciebant, dum apud eos morabantur. Quare etiam Epiphanius, homo veterum memoriarum non indiligens indagator; Petrum & Paulum, primos Vrbis Romanae Episcopos, hoc sensu adpellabat. (i)

(a) Iustin.

(a) Iustin. Apol. I. §. 26. 56. pag. 59, 77. (b) Baronius in Anal. ad ann. XLIV. (c) In not. ad Lib. II. Euseb. (d) Advers. haeref. L. 3. c. 1. 3. * Ovid. III. Amor. 8. 54. DEOS adpellavit SANCTOS: vti & Virgil. Numina SANCTA Palladis. Aen. III. 4. 543. (e) Apud Euseb. L. 2. c. 15. (f) de Praescript. c. 36. & de Bapt. c. 4. (g) Tom. 3. in Genes. apud Euseb. L. 3. c. 1. (h) Hist. Litter. Vol. 1. p. 7. (i) Advers. Carpocr. Haeref. 27. vide & Iren. advers. Haeref. L. III. apud Euseb. L. V. c. 6.

§. VIII. Te interea L. B. monitum velim ne erres, habeo praeterea excerptorum aliquot folia, sed cur vel triobolo vix aestimanda, huiusce-modi chartis illinas; cum de iis, non meliora sperare liceat, quam quod primo quoque tempore, veterinarii & propolae, allio, piperi, lardoque contegendo iis vtantur. Et tamen, proh quanti denique sumus! qui hac via, in templa olympica, coelestesque domos, nos penetrasse, existimamus. Cave putes, me in hoc vili mustaceo, laureolam quaerere. Ingenio nostrorum temporum aliquid dandum est, huic aliquo modo satisfaciendum erat. Ego vero nunc tacitus de Scena discedam, nec multum spectatorum iudicia morabor, cum certum sciam, plerosque nostrum, in eo siquid in lucem hodie emittimus; hoc cum maxime attendere, in quod iustissime olim Dio Chrysostomus inuectus est: ἀλλ' ἐς αὐτὸ τὸ τοῦ μοχθηρία, τὴν κέρδους ἐνεκα καὶ χρείας; μηδενὸς -- ἐπιστρέφεται: μηδὲ φροντίζειν πόιον τὸ γινόμενον, ἀλλὰ μόνον εἰ λυσιτελής.

T A N T V M.

PRAESES LECTORI S.

Sunt qui ambigunt, vtrum praestet argumentum Disputationum publicarum a Praefide conscribi, an ab eo, qui Respondentis vices suscepit. Sed illi certe rectius sentiunt, qui existimant, haudquaquam vitio vertendum esse Respondenti, quem Praeses idoneum duxerit, si ex proprio penu, seu Observationes Litterarias proferat, seu Diatriben conscribat. **HATHVANIVM** certe Nostrum, scimus ea pollere eruditionis variae copia; ea verum a falso discernendi sollertia; ea denique eleganter scribendi dicendique facultate: ut iniustum dicerent merito omnes me, si ei schedia-smati, quod mihi legendum offerebat, gravatus fuissim nomen meum, ut Praesidis adscribere; quamvis ne verbulum quidem in eo mihi immutandum censuissim. Si quam igitur reppe-ries B. L. in istius Dissertationis lectione delectationem, ne debutes, Doctissimo **HATHVANO** id omne, quicquid est, attribuere: qui & ea, quae scripsit, more suo, id est, erudite, acute, modeste defendet. **DEVS AC DOM. NOSTER IESVS CHRISTVS** omnia bene vortat! Vale. Datum Basileae a. d. VII. Eid. IVN. M D C C X L VII.